



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 100. An lex humana possit directè præcipere vel prohibere actum mixtum ex in- & externo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

Q. 100. An lex humana possit directe præcipere vel prohibere actum mixtum ex interno & externo, id est, talem actum externum, qui absolute quidem posset esse absque actu interno, attamen ad cuius esse morale intrinsecè spectat aliquis actus internus, uti ad esse morale Confessionis, ut dicatur valida, simul spectat dolor de peccatis, qui est actus merè internus; ad esse morale contractus, qui fit validus, spectat interna volitio contrahendi. R. Negant multi, sed communiùs & probabiliùs affirmant alii cum *Gob.* in Exp. tr. 5. n. 189. & *Carden.* in I. crisi d. 9. c. 20. a. 12., iterumque in 2. crisi d. 24. n. 10., qui dicit nuncesse certum. Probat, quia *Alex. VII.* damnat hanc 14. propos., *Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*, ergo ex hac damnatione certum est Ecclesiam præcipere Confessionem validam, ergo certum est præcipere Confessionem cum dolore & proposito, ergo simul præcipit dolorem & propositum, qui sunt actus merè interni, requisiti ad illud totum esse morale, quod est Confessio valida: idem est, quando *Vrbanus VIII.* prohibet applicationem ejusdem Missæ pro duobus stipendiis, ibi enim simul cum receptione duplicis stipendii prohibet applicationem, quæ est actus merè internus: item Ecclesia prohibet promissionem fictam Matrimonii, & quidem primariò fictionem, quæ est actus merè internus: item prohibet Simoniam omnem mentalem, etiam juris tantum Ecclesiastici &c., neque hoc est indirectè tantum præcipere vel prohibere actum internum, nam hoc, quod præcipitur vel prohibetur, non est aliquid adæquatè distinctum ab actu interno, quod tantum sit connexum essentialiter vel conjunctum cum illo, sed est aliquod morale, quod intrinsecè constituitur ex actu interno & externo ab invicena

alióqui separabilibus, ita ut habito præcisè actu externo non haberetur hoc, quod præcipitur, ergo actus internus directè simul præcipitur eodem modo quo externus, uti post *Caram* rectè urget *Carden.* suprà n. 9. Similiter dicunt multi ab Ecclesia directè præcipi aut saltem præcipi posse orationem attentam, etiam dato, quòd essentia orationis consistere possit sine attentione interna, sic autem simul directè præciperetur attentio interna, ergo. Denique quis dicat Patrem non posse filio prohibere mendacium? illo autem prohibito æquè primò prohibetur mens verbis contraria, ergo. Plura exempla affert *Carden.* suprà à n. 16., probatque etiam *Suarez* l. 4. c. 13. sæpe à Jure Canonico præcipi ejusmodi actus mixtos.

648 Q. 101. *An lex humana possit directè præcipere vel prohibere actus internos, & quidem solos.*
R. Antequam resolvam, explicabo sententias, quæ præcipuè tres sunt; prima negat, secunda affirmat, tertia distinguit:

649 §. I. Prima sententia negans docetur expressè à *S. Th.* 1. 2. q. 91. a. 4. O, & q. 100. a. 9. O, ubi pro eadem citat *Aristotelem*: sequuntur plurimi antiqui & recentiores: *Ratio* autem est 1. quia frustra esset potestas imperandi actum, quem imperans nullo modo per se cognoscere potest, neque illius omissionem punire, neque expletionem urgere, sed legislator humanus nequit per se cognoscere actum merè internum non conjunctum cum externo, nec potest punire ejus omissionem, neque urgere expletionem, cum non possit scire, an positus sit vel omissus, ergo. 2. Si lex humana possit præcipere actus merè internos, etiam poterit lex civilis, quod est contra communem sensum. 3. Et velut à priori: potestas humana debet exerceri humano modo, sed non exercetur